

37 spicum est quod in nobis situm est, ut vel obtemperemus, vel non obtemperemus Diaboli insidiis: neque ullam necessitatem patimur ab illo. Juxta Quesnellum quotiescumque diabolo bona opera dissuadenti obtemperamus, non fuit in potestate nostra insidiis ejus resistere, vel suasionibus dissentire. Unde in Quesnelli principio patimur insuperabilem omittendi boni operis, etiam præcepti, necessitatem.

19 Rursus idem Sanctus Hom. 19. in Gen. ait: Peccatori nullas admonitiones prodeſſe; non quia non potest, sed quia non vult. Quesnellus docet, cuicunque peccatori ad conversionem admonitiones non proſunt, prodeſſe non potuisse; quia sine gratia efficaci non ſolum nihil boni facimus, ſed nec facere poſsumus.

20 S. Augustinus lib. de ſpiritu & litt. cap. 34. Consentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire propria voluntatis eſt. Adeoque quiſquis diſſentit, poterat consentire. Juxta Quesnellum autem ex omnibus, qui diſſentient vocationi Dei, nè unus quidem consentire potuit, quia defuit illi gratia efficax, ſinè qua non ſolum nihil fit, ſed nec fieri potest.

21 Idem Sanctus lib. 2. de Gestis cum Felice Manich. cap. 4. Habet unuſquisque in voluntate, aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona; aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala... hoc ergo Dominus dicens aut facite illud, oſtent eſſe in potestate quod facerent, & quia ſi bonum eligerent, prämium illius acciperent, ſi malum eligerent, poenam illius ſentirent. Si Quesnellum audimus, nullus, qui eſt arbor mala, efficere potuit, ut eſſet arbor bona: omnes, qui prætermiſſione operis præcepti peccarunt; etiſi bonum eligere non potuerint, nec malum fugere; tamen poenam illius ſentient.

22 Idem Sanctus lib. 5. o. homiliar. hom. 16. In tuo arbitrio Deus poſuit, cui pares locum, Deo, an diabolo. Quod Augustini dicunt, ut patet, non ad eos tantum qui Deo locum parant; ſed etiam ad alios dirigitur: juxta Quesnellum autem ex omnibus, qui post lapsum Adami locum paraverunt diabolo, nè unus quidem fuit, qui Deo locum parare potuerit, nè unus quidem, in cuius hoc Deus poſuerit arbitrio.

23 Idem lib. 3. de Lib. arb. cap. 18. Quis peccet in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem; caveri igitur potest. Juxta Quesnellum quiſquis præcepti operis omissione peccat, cavere peccatum illud non potuit, nec tamen à culpa liberatur, aut poena.

24 In Quesnelli ſententiam Augustinus hanc enſuram evibrat, libro de Fide contra Manichæos cap. 9. Quis enim non clamet, ſtultum Conſtitutio theol. propugn. Tom. I.

eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt quod præcipitur, facere: & iniquum eſſe, eum damna-re, cui non fuit potestas iuſſa complere? Damnat Quesnellus omnes præcepta opera non implentes; etiſi nulli eorum fuerit implendi potestas.

25 Rursus idem Sanctus lib. de Duabus animabus cap. 11. docet Neminem vituperatione, ſuppliciove dignum, qui id velit, quod justitia velle non prohibet, AUT ID NON FACIAT, QUOD FACERE NON POTEST. Nonne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris poëtae, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, & Antijſites in locis ſacris, & in orbe terrarum genus humanum? At Quesnellus non ſolo Auguſtino; ſed & toto gene-re humano sapientior, docet omnes oppoſi-tum; videlicet ut deinceps cantent, & in montibus Paſtores, & in theatris Poëtae, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magiſtri in ſcholis, & Antijſites in locis ſacris, & in orbe terrarum genus humanum, omnes vituperatione, & ſupplicio dignos eſſe, qui opus præceptum non faciunt, quod facere non potuerint.

26 S. Paulinus Epift. 8. ad Severum Quæ ergo miſero mihi ſuppetit venia peccati? Agnovi bonum, & feci malum, cum aequè mihi liberum eſſet bonum facere. Falleris Pauline, ſi Quesnello fides eſt: nunquam fecisti malum quando potuisti bonum facere: nec unquam bonum facere potuisti, quando fecisti malum; utpote deſtitutus gratia efficaci, ſinè qua non ſolum nihil boni fit, ſed nec fieri potest.

27 Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joannem cap. 3. Liberum homo animal eſt, & po-test, ſive dextrum virtutis, ſive ſinistrum vitii velit, iter eligere. Quænam eligendæ virtutis libertas in eo, qui gratiâ caret efficaci, ſi absque ea nihil boni, ut Quesnellus afferit, fieri potest?

28 Idem Cyrillus lib. 9. cap. 10. Rationali creature liberam po-testatem Creator largitus eſt, & ſuæ voluntatis habenas unicuique com-miſit, ut in eo ſit, quidquid probaverit, elige-re; Quam po-testatem liberam ad bonum con-cessit Deus omnibus, quibus negat gratiam efficacem, ſi absque illa non ſolum nihil fit, ſed nec fieri potest?

29 Author libri 2. de Vocatione gentium cap. 12. Certissime noverimus, nullum fidelium à Deo non diſcedentem relinqui, neque cuiuſque ruinam ex divina eſſe constitutione diſpoſtam. Ex damnata verò propositione ſequeretur, omnes, etiam fideles, dum opus præceptum non implent, magis propriè à Deo relictos dici, quām ab eo diſceſſiſſe; quia in bono per-ſeverare non poterant, deſtituti gratiâ effi-caci